

functo can. *Si is, qui præst.* 11. q. 3. Negatur enim sequela: nam Ecclesia, seu Papa, ex infallibili assistentia Spiritus sancti declarans, atque definiens quamdam propositionem esse de fide credendam, non per hoc condit novum articulum fidei; sed latentem dumtaxat, sive implicite in alio contentum, et antea dubium declarat, proponendo fidelibus verum ac genuinum illius intellectum, a Deo revelante primitus intentum. Et quamvis nonnulli auctores, ac nominatim abbas Pannormit. in c. *Cum Christus*, n. 2. de *Hæretic.* concedant, quod Papa possit inducere novum articulum fidei, declarando jus divinum: tamen, ut patet ex his ipsis postremis verbis, auctores ita loquentes accipiunt articulum fidei dumtaxat largius, et in secundo sensu ex tribus supra num. 63. enumeratis, prout nimirum articulus fidei importat definitiones Ecclesiæ, factas super quæstionibus fidei, ac proinde prædictis in re ipsa non contrariantur.

73. *Aut reddere assertionem modo falsam, quæ prius erat vera? Ecclesia definiendo, qui libri sint canonici, non per hoc facit eos esse Scripturam divinam.* — Deinde Ecclesia nunquam assertionem aliquam reddit modo falsam, quæ prius vera erat; sed definiendo ut supra, solum declarat eam nunquam in se fuisse veram, sed semper veracitati Dei revelantis contrariam: quamvis, quia de hoc ante definitionem Ecclesiæ nec dum sufficienter, atque certitudinaliter constabat, adhuc licite, et absque nota hæresis, opposita pars feneri potuerit. Et hoc declaratur exemplo librorum canonicorum sacræ Scripturæ: licet enim ex auctoritate, atque definitione Ecclesiæ habeamus, quinam libri sint canonici, et a Spiritu sancto dictati, atque pro divinis Scripturis ab omnibus acceptandi: nihilominus Ecclesia per hoc non efficit illam Scripturam esse divinam. Nam ideo definit atque declarat illam esse Scripturam divinam, quia vere divina erat: quod si talis non fuisset Ecclesia, utpote infallibilis in definiendis quæstionibus fidei, nunquam eam esse Scripturam divinam pronuntiasset. Covarruvias, lib. IV. *Var. resolut.* cap. XIII, n. 1 et 2, citans alios, et late hoc resolvens.

74. *Utrum Ecclesia assertionem quamdam faciat catholicam, aut hæreticam, quæ antea talis non erat?* — Num autem per hoc censeatur Ecclesia assertionem quamdam facere catholicam, quæ prius catholica non erat, aut hæreticam, quæ antea non fuerat hære-

tica, est quæstio de nomine. Et quidem neutquam Ecclesia potest facere assertionem catholicam, hoc est, a Deo revelatam, quæ talis non est: hoc enim implicat. Neque potest assertionem aliquam facere catholicam proponendo eam fidelibus ut revelatam a Deo, sicque credendam, si talis revera non sit; erraret enim gravissime, quod in rebus fidei ob infallibilem assistentiam sancti Spiritus omnino ab Ecclesia est alienum. Potest tamen assertionem, quæ vera est et a Deo revelata, facere catholicam in tantum quatenus potest eam universaliter credendam proponere, atque ab omnibus fidelibus esse firmiter confitentiam definire, quamvis ante hanc Ecclesiæ definitionem, et nondum comperta certitudine de facta divina revelatione, adhuc illa in dubium revocari potuerit. Pari modo potest Ecclesia aliquam assertionem facere hæreticam, ipsamque sub pœnis in hæreticos latis prohibere; non quidem eam, quæ a parte rei vera est, sed eam, quæ a parte rei falsa est, ac divino testimonio contraria, licet de hoc ante definitionem Ecclesiæ nondum certo constaret. Et in hoc sensu Doctor angelicus 1. part. q. 32. art. 4. inquit, quod post determinationem Ecclesiæ « multa nunc reputantur hæretica, quæ prius non reputabantur. »

75. *Quomodo mysteria fidei successive magis fuerint explicata, declaratur exemplo, Hebr. c. xi, 1, adducto.* — Cæterum, quomodo mysteria fidei successive magis, magisque fuerint explicata, convenientissime declaratur exemplo a B. Paulo Apostolo ad *Hebr.* cap. xi, 13 adducto illis verbis: *Juxta fidem defuncti sunt omnes isti (Patres Antiqui Testamenti) non acceptis repromissionibus, sed a longe eas aspicientes.* Licet enim unum idemque objectum possit videri, quoad substantiam suam tam a vicinis, quam a remotis, magisque distantibus: nihilominus, quanto aliquid a remotioribus videtur, tanto minus distincte videtur, et quo magis quis accedit, eo plura (cæteris partibus) in ipso cognosci, atque distingui possunt. Simile quid accidit in lumine fidei supernaturalis: nam, ut divus Gregorius, homil. 16. in *Ezech.* docet: « Secundum incrementa temporum crevit scientia Sanctorum, et spiritualium Patrum: et quanto adventui Salvatoris viciniores extiterunt, tanto mysterium salutis plenius perceperunt. » Unde David inquit *Psal.* cxviii, 100. *Super senes intellexi.* Et Apostulus ad *Ephes.* cap. iii, 5 ait: *aliis generationibus*

non est agnatum filiis hominum mysterium Christi, sicut nunc revelatum est sanctis Apostolis ejus, et Prophetis in Spiritu.

76. *Et alio exemplo de pædagogo.* — Aliam hujus similitudinem adducit item Apostolus *Galat.* cap. iii, 24 et iv, 1. ubi statum Veteris Testamenti comparat pueritiæ, atque inter alia sic inquit: *Itaque lex pædagogus noster fuit in Christo.* Pædagogus siquidem, etsi noverit totam artem, non statim, a principio eam totam tradit discipulo, quia capere non posset; sed paulatim dumtaxat, et per partes condescendendo videlicet ejus capacitati. Quod ipsum observavit æterna Sapientia in manifestatione fidei, quam non illico totam generi humano manifestare voluit, sed successive, ac per partes, tantum scilicet dando Patribus antiquis de cognitione fidei quantum oportebat pro illo tempore populo etiamnum carnali tradi, vel nude, vel in figura. Neque enim populus ille adhuc carnalis cepisset altiora fidei mysteria, juxta illud Salvatoris *Joan.* iii, 12. *Si terrena dixi vobis, et non creditis: quomodo, si dixerero vobis cælestia, creditis?* Quinimo idem Servator noster, docens in ultima cœna discipulos suos, licet jam magis illuminatos, atque capaces mysteriorum Dei, hoc ipsum animadvertit, *Joan.* cap. xvi, 12, 13, dicens eis: *Adhuc multa habeo vobis dicere; sed non potestis portare modo. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem.* (ADNOTATIO VIII).

77. *Symbolum sancti Athanasii, quale quando ab ipso compositum?* — Quæritur IV. Quale sit symbolum sancti Athanasii, et unde habet auctoritatem? Resp. I. Symbolum sancti Athanasii est illud, quod incipit, *Quicumque vult salvus esse*, atque sub Horis canonicis cantatur in Prima Dominicali. Et quamvis præter libros, qui in quatuor tomis operum sancti Athanasii continentur, seorsim extet prædictum Symbolum, una cum vita sancti Antonii: illud tamen esse divi Athanasii verum et germanum opus, non est dubitandum, utpote de quo ipsa catholica Ecclesia testimonium perhibet, prædictum Symbolum sub nomine sancti S. Athanasii divino Officio recitandum proponens. Bellarminus lib. de *Scriptoribus Ecclesiasticis.* § de S. Athanasio, circa finem. Si quidem Athanasius Romam a Julio papa vocatus, ut judicaretur, cum Eusebianorum adventum per sesquiannum expectaret, hoc fidei symbolum Romæ scripsit, ac tanquam catholicæ fidei suæ professionem publice edidit: quod deinde una cum actis Nicænæ

synodi, cui idem Athanasius præsens interfuit, in archivio Romano diu asservatum fuit, donec tandem post multa annorum curricula Ecclesiæ recitandum tradi meruerit. Fagnanus in c. *Firmiter.* n. 33. h, t. post Baronium ad annum Christi 340. et Notas ad concilium Romanum II. tom. I, part. 1. *Conciliorum.*

78. *Et unde habeat auctoritatem regulæ fidei?* — Resp. II. Symbolum sancti Athanasii habet auctoritatem regulæ fidei, non ex se, sive ab auctore suo, sed solum ex approbatione Sedis apostolicæ illud recipientis. Ita divus Thomas, 2. 2. q. 1. art. 10. ad 3, et communis. Quinimo ipsemet sanctus Athanasius ejusmodi professionem fidei suæ primitus composuit, non per modum symboli, sed potius per modum cujusdam doctrinæ, prout liquet ex ipso modo loquendi: quia tamen doctrinæ ejus integram fidei veritatem breviter continebat, auctoritate summi pontificis recepta fuit, atque Ecclesiæ proposita, ut tanquam symbolum, seu regula fidei habeatur. De qua etiam mentio fit in concilio Florentino in *Litteris Unionis*, ubi Eugenius IV. § sexto, sic loquitur: « Compendiosam illam fidei regulam per beatissimum Athanasium editam ipsis præbimus oratoribus, cujus tenor talis est: *Quicumque vult salvus esse*, etc. »

79. *Symbolum ordinare spectat dumtaxat ad summum pontificem.* — Accedit ratio, quia symbolum ordinare non spectat ad quemlibet privatum patrem, aut episcopum, sed dumtaxat ad summum pontificem, velut Christi in terris vicarium, et visibile caput totius Ecclesiæ: ergo cum sanctus Athanasius non fuerit summus pontifex, sed tantum Alexandrinus patriarcha, memorata illa doctrina non potuit ex se, sive a suo auctore, obtinere vim symboli, seu regulæ fidei, universos astringentis, sed solum ex auctoritate et approbatione summi pontificis. Etenim in negotiis definiendis non solum necessaria est scientia, sed etiam potestas, § *Sed aliud est* dist. 20. Et majores Ecclesiæ causæ, præsertim articulos fidei contingentes, ad Petri Sedem indubitanter sunt referendæ, c. *Majores.* § 1. de *Baptismo.*

80. *Symbolum Apostolorum, Nicænum, sancti Athanasii, quando et ex quo mysterio dicatur in officio divina?* — Porro ex prædictis tribus symbolis, quod est Apostolorum, dicitur in Officio divino submisit solum, eo quod fide nondum publicata, atque ingruentibus jamjam persecutionibus, a sanctis Apostolis editum fuerit. Dicitur quoque a principio Matu-

lini, et Primæ, atque in fine Completæ, quia continet ipsum fundamentum veræ fidei, quæ est principium bonarum operationum, et contra insurgentes tentationes scutum fortissimum, mediumque ad conservandam vitæ puritatem, et conscientie nitorem cum primis necessarium: atque ideo merito frequenter. At vero Symbolum sanctorum Patrum, sive Nicænam (modo supra num. 63 jam declarato) sicut et Symbolum sancti Athanasij, cum condita fuerint Fide quaquaversum jam manifestata, simulque ordinantur ad exclusionem, atque confutationem hæresum, quæ de novo insurrexerant, et ad compescendam hæreticorum garrulitatem, cantantur sub divino Officio alta voce, ac non nisi diebus solemnibus, quando populus ad Ecclesiam convenire, atque hæresum expressius in dictis symbolis rejectarum improbationem audire potest, et docet divus Bonaventura 3. dist. 25. art. 1. q. 1. ad 6; divus Thomas 2. q. 1. art. 9. ad 6.

81. *Quid sentiendum de symbolo quarto, in c. Firmiter, h. t. relato?* — Queritur V. Quid sentiendum de Symbolo quarto, in c. *Firmiter*, h. t. relato? Resp. Præter tria enumerata Symbola, et plures anteriorum conciliorum generalium definitiones, optime in concilio generali (sive Lateranensi sub Innocentio III. anno 1215 celebrato) edita fuit constitutio illa, in c. *Firmiter*, h. t. relato, contra Albigensium, et Almerici hæreses, atque abbatis Joachim errores; quam non incongrue Glossa ad rubric. h. t. appellat Symbolum quartum: non quasi ordine quartum existat (sic enim plura alia Symbola præcesserunt, eo quod in singulis propemodum conciliis institutum fuerit Symbolum aliquod propter errores in eo concilio condemnatos, ut jam supra, num. 54, dictum est), sed quia est quartum ex principalioribus symbolis, breviter omne illud, quod tum in dicto concilio generali, tum in aliis prioribus conciliis, atque symbolis, contra hæreticos definitum fuerat, continens, confirmans, et repetens: unde et dignum iudicatum est, ut ipsis Decretalium libris insereretur, atque in fronte eorum poneretur. Quia igitur exactior ejusdem intelligentia vel maxime conducit ad cognoscendam veram fidem catholicam, juvat brevem ipsius explanationem subjungere, declarando per ordinem singula verba ipsius. Hinc sit:

§ V.

PONITUR BREVIS EXPLICATIO SYMBOLI FIDEI, IN CAP. FIRMITER. H. T. RELATI.

82. *Divisio totius capituli.* — Glossa hoc loco præsens, capitulum generatim dividit in duas partes principales quarum primam ait tractare de sanctissima Trinitate, et ejus operibus, fide catholica, atque articulis fidei; alteram vero de sacramentis. Verum quia confessio sacramentorum novæ legis indubitanter pertinet ad fidem catholicam, ut patet tum ex cit. c. *Firmiter*. § *Una ergo*. h. t. tum ex concilio Florentino in *Decreto Unionis*, ac Tridentino, sess. 7. can. 1. et seqq. hinc melius citatum capitulum, juxta præcipua fidei mysteria, quæ firmiter credenda proponit, dividitur in septem partes principales. Prima continet mysterium sanctissimæ Trinitatis; secunda, opus creationis; tertia, opus redemptionis; quarta, finalem justorum iniquorumque retributionem; quinta, unitatem sanctæ Ecclesiæ catholicæ; sexta, sacramenta ecclesiastica, et tandem septima, triplicem statum fidelium in Ecclesia, nempe virginum, continentium sive viduarum, et conjugatorum. De quibus omnibus singillatim pauca adducentur pro meliori intelligentia cit. c. *Firmiter*. 1. h. t.

83. *Firmiter credimus, et simpliciter confitemur.* Explicatur veræ fidei confessio, qualis esse debeat. — Quantum igitur ad primum attinet, veræ et catholicæ fidei confessionem orditur pontifex, cum toto concilio generali, illis verbis: «*Firmiter credimus, et simpliciter corde, et simpliciter confitemur.*» ore. Juxta quod *Rom.* cap. x. 10. dicitur: *Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Additur notanter, *Firmiter*: nam veræ fidei confessio debet esse firma, et constans, absque dubitatione aliqua, vel titubatione: tum quia dubius in fide, censetur infidelis, cap. 1. *De hæreticis*; tum quia oportet, ut veræ fidei confessio, etiam ingruente persecutione, aut pulsante quacumque tentatione, non vacillet, neque deficiat: exemplo tot millium sanctorum Martyrum, qui mauerunt sanguinem potius, ipsamque vitam profundere, quam vel in minimo a vera fide deficere. Et *simpliciter*, hoc est, sine exceptione aliqua, vel restrictione; simulque verbis simplicibus, sive claris, et apertis, non autem obscuris, palliatis, vel fucatis, fidem asserendo, balamque confitendo, arg. can.

Episcopus. dist. 23. et can. *Quando episcopus*. dist. 24. cum concordantiis. Videlicet

84. *Quod unus solus est verus Deus. Cur hoc dicatur. Homines in sacra Scriptura quandoque vocantur Dii; quomodo? Ibid.* — «*Quod unus solus est verus Deus.*» Per quod detestatur execrabilis idololatria gentilium, plures falsos, et a se confictos deos colentium, in gravissimum despectum unius solius veri Dei, cui soli honor, et gloria in sæcula sæculorum. I *Tim.*, 1, 17. Illi quippe non sunt veri dii, de quibus proinde *Galat.* iv, 8, dicitur: *His, qui natura non sunt dii, serviebatis.* Ubi Glossa interlinearis: «*Non sunt dii natura, sed opinione hominum,*» propria sua malitia excæcorum. Per hoc etiam quod additur «*verus Deus,*» excluduntur illi, quos sacra Scriptura appellat deos, non natura, et secundum totam significationem hujus nominis, sed participative solum, quatenus participant aliquid divinitatis per excellentiam virtutis sibi a Deo communicatæ; qua ratione Moyses appellatur Deus, *Exod.* cap. vii. 1, ibi: *Eccc constitui te Deum Pharaonis.* Aut per adoptionem, seu quamdam similitudinem; Ut *Psal.* lxxxi. 6. *Ego dixi: Dii estis*: non veri, sed per adoptionem et quamdam similitudinem; propter præstantiam gratiæ sanctificantis, qua constituntur filii Dei adoptivi, et ob imaginem Dei in ipsis refulentis. Unde protinus subditur: *Et filii Excelsi omnes, videlicet adoptivi, non naturales, divus Thomas. part. I q. 13. art. 9, Abbas; cap. Firmiter. n. 1. h. t.*

85. *Æternus, immensus, et incommutabilis, etc.* Tres quidem personæ, sed una essentia, etc. *Declaratur.* — «*Æternus, immensus, et incommutabilis, incomprehensibilis, omnipotens et ineffabilis.*» Quibus verbis diversa denotantur attributa, seu perfectiones divinæ; de quibus frequens fit mentio in saceris Paginis. Et additur: «*Pater, et Filius, et Spiritus sanctus*»: tres quidem personæ, sed una essentia, substantia, seu natura simplex: » ad exprimendum mysterium sanctissimæ Trinitatis, de quo jam superius n. 7, et seqq. Pulchre ad propositum divus Augustinus, lib. vi. *de Trinit.* cap. x sic inquit: «*Cæterum in illa summa Trinitate tantum est una persona, quantum tres simul: nec plus aliquid sunt duæ, quam una; et in se infinita sunt. Ita et singula sunt in singulis, et omnia in singulis, et singula in omnibus, et omnia in omnibus, et unum omnia.*» Hæc ille.

86. *Pater a nullo, etc.* — «*Pater a nullo:*»

sive, ut amplius declarat Symbolum sancti Athanasij ab Ecclesia receptum, «*Pater a nullo est factus, nec creatus, nec genitus.*» Additur: *Filius a Patre solo, non autem a Spiritu sancto, cum sit secunda in sanctissima Trinitate persona, juxta illud Matth. cap. xxviii. 20. Baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* Atque additur ulterius: «*ac Spiritus sanctus pariter ab utroque.*» nam a Patre, Filioque, simul procedit Spiritus sanctus (ut superius § 2. contra errorem Græcorum jam ostensum) non econtra, ne alioquin idem, ac secundum eandem rationem, foret et principium, et principiatum.

87. *Ab initio semper, ac sine fine: Pater generans, etc. Generatio Filii et processio Spiritus Sancti est æterna.* — Sequitur: «*Ab initio (hoc est, ante tempora, et ab æterno) semper ac sine fine: Pater generans, Filius nascens, et Spiritus sanctus procedens:*» ad indicandum æternam esse generationem Filii, æternamque processionem Spiritus sancti, quarum quælibet nec initium habet, nec finem, sed semper est, neque præterit, quasi esse desierit, neque futura est, quasi nondum existat, quia æterna est. Hinc Pater cœlestis *Psal.* ii. 7. ad Filium sic ait: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Ubi loquendo de æterna Filii generatione notanter dicitur, *Genui*, ne ea putaretur esse nova, seu incœpisse primum in tempore: *Hodie* autem, ne præterita videretur, quasi esse desierit. Proinde generatio Filii, sicut et processio Spiritus sancti est æterna, semper, ac sine fine: sicut a simili, seclusa tamen qualibet imperfectione (ut exemplificat sanctus Augustinus lib. vi. *de Trinit.* cap. 1.) si ignis esset ab æterno, duraretque in æternum, produxisset ab æterno splendorem et calorem sibi cœvum, semperque produceret, atque producturus esset. Quin imo, si Pater in divinis prius fuisset Deus, et postea primum genuisset Filium, et spirasset Spiritum sanctum, generationis et spirationis activæ accessione mutatus esset Pater æternus. Avertat Deus hanc amentiam! exclamat Doctor subtilis in 1. dist. 9. circa initium, post divum Ambrosium lib. I. *de Fide*, cap. v. vel. vi, quem refert ibidem Magister in Littera. Sic enim neque Pater foret Deus utpote non immutabilis; neque Filius, utpote non æternus; neque Spiritus sanctus ob eandem rationem.

88. *An dici debeat: Filius semper nascitur, vel potius semper natus est?* — Posset hoc loco quaeri, an debeat dici, «*Filius semper*